

**DIES SECUNDA SEPTEMBRIS.
DE SANCTO STEPHANO PRIMO
HUNGARORUM REGE ALBÆ REGALIS IN
HUNGARIA, VITA**

**Auctore Carthuito aut Carthuitio
episcopo Ex editione Cracoviensi,
collata cum Ms. Corsendoncano &
editione Surii.**

PRÆFATIO.

[Ait auctor se regis ussu hanc Vitam scribere.] Domino suo Calamanno a regi præcellentissimo Carthuitus episcopus, officium spirituale per misericordiam Dei consecutus, post istius vitæ terminum felix illud euge sempiternum. Incepturus opus, Domine mi, rex inclyte, quod mihi vestro regali præcepto, de bona vita regis Stephani potentialiter injunxistis, diu rebellem ingenioli mei perpressus sum inscitiam, ob hoc præsertim quod Priscianus auctor artis Grammaticæ medullitus mihi notus olim, longe digressus faciem suam, quasi caligine quadam circumflumam, mihi decrepito jam facit obscurissimam. Verumtamen parte ex alia, dum vestræ dignitatis intuitus reverentiam, incerta gravarer meditatione, tandem omnium virtutum lux & gemma dubietatem anxixæ mentis devicit obedientia, cujus forti præsidio deficere in me videns vires, inchoandi operis recipit fiducia. Sed quoniam sæpe fiducialiter acta res invidiæ fomitem generat, precor flexis genibus vestræ triumphalis excellentiæ sublimitatem, ut manibus regalis defensionis hoc suscipiatis Opusculum ne male sonantium positio dictionum vel confusi ordinis enormitas, vestrum,

cum legeritis, offendat oculum. Quod si aliquod indignum occurrerit offendiculum, malo codicem ut ignis comminuat incendium, quam ut livor ad plenum perveniat oculum. Igitur, quia boni quicquid est, ex Conditoris misericordia manat, ex ipsius dono sermo ceptus talia personat.

ANNOTATA.

Calamanno, apud Surium Colomanno, uti nomen ipsius hoc tempore solet exprimi. Hungaricum nomen Kalman initio expressum fuisse Calamannus, admodum verisimile est. At postea usurpatum est nomen Colomannus, aut Colomanus, quod jam olim erat usitatum apud Latinos. Colomannum hunc fuisse Hungariæ regem, & successorem S. Ladislai, dictum est in Commentario § 1, ubi etiam actum de tempore Vitæ conscriptæ. Hoc ipsum, quod nomen regis Calamannus scribitur, signum est vetustatis, cum posteriores scripserint Colomannus.

Priscianum numerari inter præcipuos Grammaticos, passim norunt eruditi. Significat illa allegoria Carthuitius, leges Grammaticales sibi olim quidem notas fuisse, sed per ætatem paulatim oblivioni datas. Attamen pro tempore, quo florebat hic auctor, mediocriter Latine scripsit: sed menda quædam hinc inde irrepserunt manuscripto, maxime sub finem.

Cum phrasis non sit omnino perfecta, suspicor auctorem scripsisse, recipio vel recepi fiduciam.

Præfatio aut dedicatio hæc omissa est in Ms. Corsendoncano. SURIUS eam expressit mutato stylo, eademque libertate, qua dictionem totius Vitæ immutavit. Accipe, studiosè lector, præfationem Surianam pro specimine totius Vitæ immutatæ: Domino suo Colomanno, regi excellentissimo, Chartuitius episcopus, spiritale ministerium Dei benignitate adeptus, post hujus vitæ terminum, illud Euge precatur sempiternum. Aggredior

nunc opus, serenissime rex, jussu tuo mihi demandatum, a quo hactenus ingenioli mei imperitia abhorruit, ob id præsertim, quod Priscianus Grammaticus, mihi olim sat bene perspectus & cognitus, procul a me digressus, jam decrepito mihi, tanquam caligine quadam septus, faciem exhibet obscurissimam. Sed cum alia ex parte dignitatis tuæ attenderem authoritatem, vicit tandem anxix mentis dubitationem omnem, virtutum omnium lux & gemma, obedientia: cujus forti præsidio fretus, tametsi mihi vires cernerem haudquaquam suppetere, operis inchoandi fiduciam concepi. Cum sint autem plerumque invidiæ obnoxia, quæ bona animi fiducia geruntur; supplex oro regiam sublimitatem tuam, uti Opusculi hujus suscipere ne gravetur patrocinium; nec offendatur parum commoda dictione, aut ordinis & rerum gestarum confusione. Quod si occurrat quippiam, quod fædam habeat offensionem, malim codicem ignibus absumi, quam livoris materiam cuiquam offerri. Et quia bona omnia ad nos ex divina misericordia proficiscuntur, ipsius munere sic libet Opusculum præsens auspiciari. Vides hic, lector, sic immutatam dictionem, ut idem ubique sit sensus. Idem passim in Vita factum; nec opus est illas mutationes verborum notare deinceps, nisi simul mutata sit sententia. Solas igitur mutationes sententiarum inferius assignabo; ex Ms. vero ipsas vocum mutationes diligenter observabo, nisi sint menda clarissima, uti varia occurrunt circa finem Vitæ.

CAPUT I.

**Sancti pater, natales visionibus præviis illustrati,
baptismus, regni initia & cura religionis
propagandæ: victoria de rebellibus & hinc
monasterium S. Martini ex voto fundatum.**

[Pater Sancti benignus in Christianos,] Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum. Hujus Patris datum

optimum, & donum perfectum in omnes large proveniens, quia nullum spernit, sed omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, ad Hungaros usque, quos Christianorum flagellum quondam fuisse constat, diffusum est. Quod qualiter & quando factum sit, styli officio memoriæ commendare, congruum duximus. Ea siquidem tempestate, qua gens præfata Dei Ecclesiam depopulabatur, erat in ea princeps quidam, quartus ab illo, qui ingressionis Hungarorum in Pannonia dux primitus fuit, (nomen Geysa) severus quidem & crudelis, veluti potentialiter agens, in suos, misericors autem & liberalis in alios, & præcipue in Christianos, ritu paganismo licet adhuc quidem obvolutus: tamen appropinquante spiritualis fulgore charismatis, cum omnibus circumquaque positarum provinciarum vicinis de pace cæpit attente tractare, ut jam in illo posset agnosci, cujus filius desideraret fieri, secundum dictum Salvatoris nostri, dicentis in Evangelio: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Statuit insuper præceptum cunctis Christianis, ducatum suum intrare volentibus, hospitalitatis & securitatis gratiam exhiberi. Clericis & monachis potestatem concessit suam præsentiam adeundi, quibus voluntarium libenter aditum præbens orthodoxæ fidei semen, pectoris in horto satum, delectabatur germen emittere.

[3] [ac tandem ipse Christianus, visione mirabili instruitur de nascituro Filio:] Quid plura? Adest tempus cælitus dispositum: credidit ipse cum familiaribus suis, & baptisatus est; & omnes ditioni suæ subditos, se polliciens Christiano nomine mancipaturum. Cumque nimium esset sollicitus de rebellibus domandis, & ritibus sacrilegis destruendis, & episcopatibus secundum æstimationem suam, ad profectum Ecclesiæ sanctæ statuendis; mirabili visione d nocte consolatus est eum Dominus. Fecit astare sibi juvenem delectabilem aspectu, qui dixit ei: Pax tibi, Christi electe, jubeo te de sollicitudine tua fore securum.

Non tibi concessum est, quod meditaris, quia manus pollutas humano sanguine gestas. De te Filius nasciturus egredietur, cui hæc omnia disponenda divinæ providentiæ consilio commendabit Dominus. Hic erit unus ex regibus electis a Domino, corona vitæ sæcularis commutaturus æternam. Verumtamen virum spirituali legatione tibi transmittendum, honorificabiliter suscipito, susceptum venerabiliter habeto, exhortationibus ejus non fictum cordis fidelis assensum præbeto. Expergefactus princeps visione stupidus, prius secum, post cum Christi fidelibus & suis pertractans, Deo gratias pavimento manibus expansis adhærens, humiliter egit, se principatumque suum cum Filio nascituro custodiæ illius, qui non dormit neque dormitat, lacrymis fuis commendavit.

[4] [advenit S. Adalbertus Hungaris prædicaturus, & Stephanum, præeunte matris visione,] Dum miratur ergo de viro divinitus prædicto, nuntiatur ei beatum Adalbertum, Bohemiensis ecclesiæ pontificem, ad se venturum esse propter conversionem ipsius, & fidei non fictæ profectum, Domino Deo laudis hostiam oblaturum. Oritur lætitia novis Christi militibus inenarrabilis: dux obviam tyroni Christi cum fidelibus quibusque procedit, honorabiliter eum suscipit, & ut per visum monitus est, modis omnibus obedientiæ filium se fore monstravit. Igitur, jubente principe, fit ubique congregatio indomitæ [gentis] & per sanctum episcopum fuit, & per suas exhortationes continue convertuntur & baptisantur alumni patriæ, statuuntur in multis locis ecclesiæ: lux quippe, quæ illuminat omnem hominem, tenebris expulsis, in Hungaria cæpit enitere, & impleta sunt in ea verba prophetiæ dicentis: Gentium populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam.

Lux lucis invisibilis Christus est, quem tunc gentes videre meruerunt, quando revocati de tenebris, ipsum

verum Deum & hominem esse verum perfecte crediderunt. Nec hoc silentio prætereundum est, quod, ut omnis ambiguitas tolleretur de medio, ne forte prædictæ visionis solius viri parum videretur inesse fidei, uxorem ejus, jam appropinquantem partui, tali voluit visione divina gratia consolari. Apparuit namque illi beatus levita & protomartyr Stephanus, levitici habitus ornatus insignibus, qui eam alloqui taliter cœpit: Confide in Domino, mulier, & certa esto, quia Filium paries, cui primo in hac gente corona debetur & regnum, meumque nomen illi reponas. Cui cum admirans mulier responderet: Quis es, Domine, vel quo nomine nuncuparis? Ego sum, inquit, Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium pertuli. Quo dicto, disparuit.

[5] Nascitur interea prædictus a Domino Filius principi, [natum baptizat. Stephanus, solícite educatus, designatur patris successor;] quem secundum prophetam, antequam in utero conciperetur, Dominus novit; & cui, antequam nasceretur, per prothomartyrem suum nomen indidit. Hunc Deo dilectus Adalbertus episcopus chrismali baptismate secundum credulitatis suæ veritatem intinxit. Nomen sibi impositum est Stephanus, quod alienum a consilio Dei fuisse non credimus. Stephanus quippe Græce, Corona sonat Latine. Ipsum quidem & in hoc sæculo coronare Deus voluit ad regni potentiam, & in futuro corona beatitudinis semper manentis redimere decrevit, ad percipiendam vitæ jugis indeficientem gloriam. Strigoniensi vero oppido nativitatis exordium habuit; & puer adhuc scientia grammaticæ artis ad plene imbutus est. Crevit Infans diligenti nutritus educatu, qui transacta pueritia, postquam gradum adolescentiæ primum ascendit, & convocatis pater suus Hungariæ primatibus, cum Ordine sequenti, per communis consilium colloqui filium suum Stephanum post se regnaturum populo præfecit, & ad hoc corroborandum, a singulis sacramentum exegit.

[6] Post hæc plenus dierum anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo sæculi nequam ærumnas cælesti mutavit gaudio. [mortuoque patre, principatum obtinet: mox de propaganda religione sollicitus,] Et eodem anno beatus episcopus Adalbertus causa prædicandi verbum Dei Prussiam ingressus, ibi palma martyrii coronatus est. Post obitum vero patris Stephanus adhuc adolescens, favore principum & plebis in patris solium laudabiliter profectus, & ardentiori animo cœpit veritatis propagator existere, quia quamvis adolescentiæ annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. Scripturarum divinarum, quibus apprime flagrabat, non immemor, iudicium & justitiam in oculis proponebat, & juxta illud Salomonis: Audiens sapientiam sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis Dei fidelis dispensator existens, apud se cœpit meditari, qualiter subjectum sibi populum unius Dei cultui manciparet. Sed quia perpendebat, id absque vicinarum gentium consideratione minime fieri posse, pacem cum exterarum provinciarum populis habens, & fideliter institutam roboravit fidem, ut eo securius, quod in mente tractabat, & in novella plantatione Christianitatis explere sufficeret. Sed adversarius totius bonitatis, invidiæ plenus & malitiæ, diabolus, ut sancti Christi Tyronis propositum disturbaret, intestina bella contra eum commovit, quoniam ejus instinctu plebs gentilis, Christianæ fidei jugo colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se subtrahere moliebantur.

[7] [rebelles vincit & monasterium S. Martini ditat.] Cœperunt enim urbes ejus desolare, prædia vastare, possessiones deprædari, servos cædere, & ut cætera sileam, ipsi insultare. Cumque declinare de via sua perversa nollent, nec furor eorum satiaretur; Dux ipse confidens de æterna virtute ad superandam hostium rabiem cum multitudine exercitus sui sub vexillo Deo

dilecti pontificis Martini sanctique martyris Georgii processit. Illis forte diebus urbem, quæ vulgo Vesprini nuncupatur, obsederunt, & hæc ad convitia ejus commoventes, scilicet, ut ibi ducalis accessus conversatio habebatur, & ibi considerent, quo facilius ingressus ad alia præsidia occupanda inveniretur. Ipse vero, divina præeunte clementia, adversus eos consurrexit, & hic in fide, illi vero tantum in armis confidentes, utrimque decertaverunt. Tandem hostibus victis, & ex parte cæsis & ex parte captis & alligatis, Dux victor cum suis victoriæ dona reportavit. Quapropter de possessionibus eorum, tam in agris quam in villis, sapienter dijudicavit, non sicut quondam Saül, qui devicto Amalech de spoliis ejus, domino prohibente, meliora elegerat; sed, quoniam Pannonia beati pontificis Martini nativitate gloriatur, cujus etiam patrocinantibus meritis Vir Christo fidelis, ut jam dictum est, de hostibus victoriam deportaverat, nihil de rebus eorum ad opus sui reservans, merito cum theophilis consilio, juxta fundum sancti præsulis in loco, qui sacer modus dicitur, ubi sanctus Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignaverat, in titulo ipsius monasterium construere cœpit, possessionibus & redditibus cunctos sufficienter ditavit, & ipsius suffragio simile fecit episcopis, constituens, ex omnibus eorum facultatibus tam strictas decimas dari.

ANNOTATA.

Uti Attila vocari voluit flagellum Dei, ita Hungari revera fuerunt flagellum Christianorum, quemadmodum satis colligi potest ex dictis in Commentario num. 52.

Non esse, cur hanc visionem commode intellectam pro fictitia necessario habeamus, ostendi in Comm. § 10.

Surius rectius habet, Servo Christi, pro tyroni Christi: nam Adalbertus minus proprie vocatur tiro Christi, cum esset episcopus.

Phrases est mendosa in editione æque ac in Ms. Surius habet: Per sanctum episcopum fiunt conciones; atque ita legendum putem.

Surius ambulabat, uti revera habetur Isaiaë 9.

Cœptam esse Hungarorum conversionem ante adventum Adalberti, jam insinuavit auctor num. 3, & nos ostendimus in Commentario § 7. Attamen imperfecta fuit prima illa conversio, & ne per Adalbertum quidem satis perfecte conversi sunt Hungari, ut dictum § 10.

Ne hanc quidem visionem incredibilem esse, sed aliunde potius firmari, ostendi contra criminationes Schwartzii in Commentario § 10.

Baptizatum probabilius a S. Adalberto infantem Stephanum, uti hic asserit Carthuitius, probavi in Comm. § XI.

Strigonium, vulgo Gran, urbs est archiepiscopali dignitate a S. Stephano deinde ornata, eaque etiamnum gaudet. Sita est ad Danubium & satis nota.

Mirandum quidem videtur, tantam linguæ Latinæ curam eo tempore fuisse principi Hungarorum; nec tamen dubitandum, quin Stephanus Latino sermone puer sit imbutus, cum multa filio suo præcepta, multaque diplomata Latine dederit.

Surius: Pater ejus convocavit Hungariæ proceres, & reliquos Ordines. Unum cum primatibus Ordinem

convocatum ait biographus, plures perperam proceribus adjunxit Surius.

Surius, pacem fecit, aberrans a mente Carthuitii, opinor: nam existimo hunc tantum voluisse, Stephanum roborasse pacem a patre cum vicinis initam.

Surius, ex Dei amantium consilio. Auctor fortasse scripsit, inito cum theophilis, id est, Deum amantibus, consilio.

Sacer modus etiam est in Ms., at rectius apud Surium Sacer mons: nam ita vocatur monasterium S. Martini ibi fundatum, de quo fuse egi in Comm. § 15, ubi videbit lector monasterium istud jam cœptum construi ante hanc victoriam.

CAPUT II.

Cura promovendæ religionis, & multorum accessus in Hungariam: constructum monasterium, erecti episcopatus: missus Romam legatus, qui coronam regiam multaque privilegia a Pontifice obtinet: nuptiæ cum Gisela ac pia utriusque opera.

[Eximia Regis pietas: sanctorum virorum adventus in Hungariam:] Devictis ergo hostibus, Christi Miles gaudio spirituali repletus, totius ingenii consilium euangelici decrevit seminis fore receptaculum, eleemosinis & orationibus vacans, frequenter pavimento sanctæ domus adhærens, lacrymis effusis perfectionem propositi sui Deo commisit, volenti, ut, qui sine ipso nihil agere valeret, opitulante dispositionis ipsius expletione bonum, quod cogitaverat, cum inceptione virtutum ad finem perducere posset. Ad hoc ergo incipiendum & consummandum, quoniam fidelium Christi consultum habebat necessarium, nuntiis & literis in omnes partes suum divulgavit

desiderium. Inde multi presbyteri & clerici, Spiritus Paracleti compuncti visitatione, relictis sedibus propriis, elegerunt pro Domino peregrinari. Abbates & monachi, nil proprium habere cupientes, sub tam religiosi Principis moderamine regulariter vivere deliberaverunt. Inter quos vitæ regularis pater Astricus cum suis discipulis advenit, quorum unus, nomine Bonifacius, in loco patris abbas deinde constitutus, dum a beato Rege causa prædicationis in inferiores Hungariæ partes esset missus, in verticem percussus gladio, licet postea superviveret, non est privatus martyrio. Venerunt & alii duo de terra Poloniensi, eremiticam vitam causa contemplationis eligentes, quorum unus, Andreas nomine, per confessionis meritum angelicis choris est associatus, testibus miraculorum signis per ipsum a Domino factis: alter Benedictus pro Christo sanguine fuso misericorditer laureatus.

[9] [conditum monasterium ad radices Montis Ferrei,] Astricus abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem Montis Ferrei cœnobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit, & ibi usque hodie congregatio monasterialis disciplina regulari pollens, temporalium sustentatione copiarum ex donativis sancti Ducis superabundans, non est alicujus egens, nisi ut suos & aliorum pedes secundum Evangelium quotidianis precibus & lacrymis lavet. Cum his Dei servus Princeps Christianissimus, aliquando comiter cum omnibus, aliquando singillatim cum unoquoque eorum, colloquium habens, in tam divinis conspectibus se probabilem reddidit, ut omnes militiæ suæ comites ad veri Dei culturam converteret. Quos vero alienæ sectatores viæ reperit, minis terroribusque subjugavit; ipsosque secundum ecclesiasticam doctrinam instituens, jugum & legem disciplinæ suppositis cervicibus adhibuit, omnesque immunditias malorum prorsus destruxit.

[10] Post hæc provincias in decem partitus episcopatus, Strigoniensem ecclesiam metropolim & magistram cæterarum fore constituit. [Hungaria in decem episcopatus divisa; missus Romam legatus, qui coronam,] Cognoscens vero prudens Dux prædicti Astrici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decoravit, electione canonica sublimavit, & ei Colocensis episcopatus dignitatem contulit. Quarto post patris obitum anno, divina commonente clementia, eundem Astricum præsulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina sanctorum Apostolorum misit, ut a successore sancti Petri Principis Apostolorum postularet, quod novellæ Christianitati exortæ in partibus Pannoniæ largam benedictionem porrigeret, Strigoniensem ecclesiam in metropolim suæ subscriptionis auctoritate sanciret, & reliquos episcopatus sua benedictione muniret, regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore, cœpta per Dei gratiam posset solidius stabilire.

[11] Eodem forte tempore Myscha Polonorum dux Christianam amplexus fidem cum suis, [antea Polonorum duci promissam, monito divinitus Pontifice,] missis ad Romanæ Sedis Antistitem nuntiis, Apostolica fulciri benedictione, ac regio postulaverat diademate redimiri: cujus petitionem annuens Papa, coronam egregii operis parari jam fecerat, quam illi cum benedictione & regni gloria mittere decreverat. Sed quia novit Dominus, qui sunt ejus, qui duobus per Apostolos in Apostolatus ordinem sorte electum Matthiam prætulit, & Apostolicum fecit supplere numerum, illa corona ipsum decoravit, postmodum eundem feliciter decoraturus æterna. Præfixa itaque die, qua parata jam corona prædicto Polonorum duci jam mittenda fuerat, nocte, quæ præcedebat, Papæ per visum Domini nuntius astitit, cui & dixit: Crastina die, prima diei hora, ignotæ gentis nuntios ad te venturos esse cognoveris, qui suo Duci coronam a te regiam cum

benedictionis Apostolicæ munere flagitabunt. Coronam ergo, quam præparari fecisti, eorum Duci, prout petierint, cures sine contradictione largiri: sibi enim eam cum regni gloria pro vitæ suæ meritis scito deberi.

[12] Juxta ergo hujus visionis modum præscripta sequentis diei hora præsul Astricus ad Papam pervenit, [pro Stephano cum aliis privilegiis impetrat:] qui officium injunctum sibi prudenter exequens; & sancti Ducis gesta referens ordine, ab Apostolica Sedeque promptissimus insignia postulavit, indicans eum dignum tali honore & dignitate qui plures gentes in per Dei adjutorium sibi subjugasset, & multos infideles per suam potentiam ad Dominum convertisset. Quibus auditis valde gavisus Romanus Pontifex, cuncta, prout fuerant postulata, benigne concessit. Crucem insuper anteferendam Regi, velut in signum apostolatus misit; Ego, inquam, sum Apostolicus, ille vero merito Christi Apostolus, per quem sibi tantum populum Christus convertit. Quapropter dispositionem ejusdem, prout divina gratia ipsum instruit, Ecclesias Dei simul cum populis vitæque jure ordinandas relinquimus. Impetratis ergo omnibus, prout petiit, præsul Astricus lætus ad propria remeavit, secum ferens propter quod inceptum iter prospere peregerat.

[13] Benedictionis ergo Apostolicæ literis cum corona & cruce simul allatis, [Rex allata corona redimitus: leges latæ:] præsulibus cum clero, comitibus cum populo, laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus rex unctione chrysmali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur. [uxor ducta; hujus pietas:] Post acceptum regalis excellentiæ signum, qualis vitæ vir & discretionis fuerit, cum episcopis & primatibus Hungariæ statutum a se Decretum manifestum fecit. In quo scilicet uniuscujusque culpæ contrarium dictavit antidotum, & ut pacis, per quam Christus orbem coadunavit, se fore probaret filium, quod nullus alium

hostiliter invaderet, nemo vicinum sine iudicii examinatione læderet, viduas & orphanos nullus opprimeret, subscriptione fœderis non pereuntis posteris suis reliquit stabilitum. Ad consortium vero, præcipue causa sobolis propagandæ, sororem Romanæ dignitatis augusti, videlicet Henrici, qui ob mansuetudinem morum Pius est appellatus, Gyslam nomine, sibi in matrimonio sociavit, quam unctione chrysmali perunctam, gestantem coronam regni sociam esse constituit. Quæ qualis erga Dei cultum orandum extiterit, quam frequens & benedicta circa Dei servientium congregationes apparuerit, multarum ecclesiarum cruces, vel vasa vel paramenta, opere mirifico facta vel contexta, usque hodie testantur. Præ cunctis tamen domus episcopatus Vesprimensis, quam ipsa a fundamento cœptam, omnibus sufficientiis ad servitium Dei in auro & argento vestimentisque multiplicibus nobiliter adornavit.

[14] [cura Regis de foundationibus suis, & vita ecclesiasticorum:] Ipse vero Rex episcopia nuper incepta, tam videlicet archiepiscopalem quam omnes episcopales ecclesias, amplissimam singulis assignans diœcesim, & unicuique semper præficiens idoneum præsulem, simul & abbatias prædiis, curiis, & familiis, & redditibus, regaliter disposuit, crucibus & vasis aliisque suppellectilibus, ad ministerium Dei pertinentibus, secundum quod unicuique opus fuit, sufficienter decoravit; & singulis annis, quoad vixit, munera & oblationes semper augebat, ne aliquid extrinsecus quærerent, qui officio sanctuarii præerant. Monachorum vitam & conversationem, nunc per alios, nunc per seipsum, explorando diligenter examinabat, torpentes arguens, vigiles sub dilectione constituens: canonicorum ministerium episcoporum providentiæ sub testimonio Christi & Ecclesiæ commendabat, secundum Apostolum omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.

[15] [Sebastianus statutus antistes Strigoniensis, eique cæco ad triennium suffectus Anastasius.] Eodem tempore in monasterio sancti Martini erat monachus quidam, Sebastianus nomine, cujus probabilis vita, & devota in Dei servitio religio habebatur: hunc Rex venerabilis miro amore cœpit diligere, quia quanto quis religiosior, tanto ei erat acceptior. Illum ergo ob vitæ merita pontificali honore dignum judicans, regendo Strigoniensi archiepiscopatu eum præfecit. Et quoniam flagellat Deus omnem filium, quem recipit, prædictum Sebastianum, ad probandam ipsius patientiam, corporalium oculorum lumine ad tempus privavit. Sed ne novellus in fide grex absque pastoris regimine a recti tramitis proposito deviaret, per consensum Romani Pontificis sæpe dictum Astricum Colocensem episcopum in illius locum substituit. Evolutis deinde trium annorum circulis, Sebastianus, ex Dei misericordia recepto lumine, rursus per Apostolici consilium suæ sedi restitutus est: & Astricus ad suam ecclesiam, videlicet Colocensem, cum pallio rediit.

ANNOTATA.

De gestis hujus Bonifacii martyris plura apud alios scriptores non invenio, quam hic leguntur: nam breviter de eo Bonfinius pag. 174. Inchofer mortem ipsius refert ad annum 1007, ac triennio ante missum ait a Rege in inferiorem Hungariam; utrumque tempus ex sola, opinor, conjectura determinans. Addit: De hoc Bonifacio nihil se offert in Martyrologiis, & aliis historiis ecclesiasticis, unde ipsum sibi vindicare sola queat Hungaria. Deinde inquit, an fortasse idem non sit cum S. Bonifacio martyre, S. Romualdi discipulo, qui in Martyrologio Romano habetur die 19 Junii, atque sine dubio diversum esse; quod satis videtur certum, cum alter episcopus esset, & coronatus sit in Russia; hic vero abbas & in Hungaria occisus. Hic tamen cum illo confunditur in libello, anno 1692 Tyrnaviæ edito, cui titulus: Ungaricæ sanctitatis indicia: ibi enim

pag. 127 textitur breve elogium Bonifacii abbatis S. Martini, qui in adjecta icone dicitur a Prussis occisus circa annum MVII, sed sine verisimilitudine.

In Ms. Poloniæ. Bonfinius pag. 174 de hisce scribit sequentia: Item ex ea Dalmatiæ parte, quam Polianam dicunt, (advenerunt) eremitæ duo: quorum alter Andreas, Benedictus alter dictus est. Andreas vitæ sanctitate miracula edidit. Benedictus, quum pro Christo sanguinem effuderit, inter divos martyres annumeratus. Ita Bonfinii Historia, si mendum non irrepserit. At cum constet, Sanctos illos Polonos fuisse, non Dalmatas; suspicor Bonfinium scripsisse ex ea Sarmatiæ parte, quam Poloniam dicunt. Plura de SS. Andrea (alias Zoërado, qui & Andreas Suirardus in Officio Polonico dictus legitur) & Benedicto videri possunt apud nos tom. 4 Julii a pag. 326, ubi eorum gesta diligenter examinata sunt, Vitaque edita.

In Ms. mendose suprapositis. Regem fortissime egisse contra adversantes legi Christianæ, intelligitur ex gestis in bello Transilvanico, quod narravi § 25, & ex legibus supra datis.

Id est, ipso anno millesimo. Quæ de hac legatione narrantur, solide confirmata vide § 18 & 19.

Silvester II in litteris suis num. 185 similiter dicit de ignota nobis gente. Attamen non poterant Hungari eo tempore Romæ prorsus esse ignoti. Itaque tanto magis miranda hæc phrasis, tantoque magis credendum, hanc a Carthuitio desumptam esse ex litteris Silvestri, qui eo dumtaxat sensu Hungaros ignotam gentem dixisse videtur, quod nullos eatenus legatos ab iis accepisset.

Mendosa hic est editio, & Ms.: Editio habet, prout locum reddidi; Ms. vitiaque nihilo melius. Surius vero

locum recte expressit hoc modo: Ecclesias Dei una cum populis nostra vice ei ordinandas relinquimus.

CAPUT III.

Pietas in beatam Virginem: structa ornataque donis & privilegiis ecclesia Albæ Regalis: fundationes piæ Hierosolymis, Romæ, Constantinopoli: misericordia & liberalitas Regis, ejusdemque mirabilia.

[Eximia pietas in beatam Virginem, cui exstruit ecclesiam Albensem,] Erat interea Rex idem fidelis in omnibus actibus suis, Deo perfecte deditus per votum & oblationem, semetipsum cum regno suo sub tutela perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ precibus assiduis conferens, cujus gloria & honor tam celebris inter Hungaros habetur, quod etiam festivitas Assumptionis ejusdem Virginis, sine additamento proprii nominis, ipsorum lingua dies Dominæ vocitetur. Et ut majorem defensionis misericordiam consequi valeret, in ipsa regalis sedis civitate, quæ dicitur Alba, sub laude & titulo ejusdem Virginis perpetuæ famosam & grandem basilicam opere mirifico, celaturis in chori pariete distinctis, pavimento tabulis marmoreis strato, construere cæpit: quam qui vidit, veritati testimonium perhibet verborum nostrorum, innumerabilia palliorum [&] paramentorum ibi esse genera, tabulas circa altaria plures auro purissimo fabricatas, lapidum series pretiosissimorum in se continentes, ciborium arte mirabili supra mensam Christi erectum, cameram omni genere vasorum Cristallinorum, onychinorum, aureorum, argenteorum pleniter resertam.

[17] Tanta venustate suprascriptam ecclesiam in propriam capellam Rex sibi retinens, [quam sibi pro sacello retinet ac privilegiis ornat:] tali eam libertate

dotavit, ut nullus episcoporum in ea juris quicquam haberet. In die etiam absolutionis, & consecrationis Chrismatis, cuicumque episcopo vel injungeret Rex ibi præsens, vel illuc mitteret absens, pœnitentes in ea absolveret, & chrisma consecraret: divina quoque Missarum solemnia, si Regem ibi esse præsentem contingeret, ille tantum celebraret episcopus, cui Rex, consentiente cum fratribus præposito, celebrare juberet. In Regis autem absentia, absque præpositi & fratrum licentia, episcopus vel Missas celebrandi, vel cujuslibet episcopalis officii exercendi, sibi licentiam non usurparet. Præterea eundem ecclesiæ populum instituit esse tam liberum, ut nihil decimarum cuidam episcopo dare deberet; sed præposito soli & fratribus, prout ab eo institutum est, servitium exhiberet.

[18] [fundationes Hierosolymæ, Romæ & Constantinopoli:]
Deinde servus Dei, quæ tunc acquirere poterat, omnia Christo, quæ ex ipsius dono fluxerant, conferre studuit, & qui eum gloria & honore mundi præsentis dignum fecerat, cælestis patriæ civibus clementer associare dignaretur. Legimus in prophetiis de Apostolis scriptum, quod in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc non solum de duodecim, sed de omnibus a Deo missis, ad evangelizandum dictum esse probatur, quorum fide, verbis & moribus incrementum parit Ecclesia. De quibus iste Christianissimus Rex non minimus fuisse comprobatur, qui bonæ voluntatis & operis famam, quam in ædificandis ecclesiis in amplitudine proprii juris exercuerat, in longe positas terras & urbes famosissimas disperserat. Construxit enim in ipsa conversationis Christi secundum humanitatem civitate Hierusalem monachorum cœnobium, quod prædiis ditavit & vineis, ad victum quotidianum copiam ministrantibus. In capite quoque mundi Romæ sub titulo protomartyris Stephani duodecim canonicorum congregationem, cunctis pertinentiis abundante statuit, & materiam in circuitu

lapide muratam, cum domibus, & hospitibus Hungarorum, orationis causa beati Principis Apostolorum Petri limina quærentium, condidit. Ipsam quoque regiam urbem Constantinopolim beneficiorum munere non privavit, quam ecclesia mirifici operis, cum necessariis omnibus suis donavit. Merito ergo infra terminos suæ dominationis nomen adeptus est Apostoli, & quamvis super se euangelizandum non assumpsit officium prædicatorum, tamen dux & magister ejus, tutaminis & sustentationis instituit solatium.

[19] [eximia Sancti misericordia,] Inter omnia supernæ miserationis beneficia, beato Regi divinitus concessa, præ omnibus sunt illa miranda, scriptis commendanda, quæ locum primum obtinent ad æternæ vitæ gaudia promerenda, misericordia scilicet & veritas. In omnibus enim factis suis felicibus illud intendebat esse præcipuum, quod ex Evangelio fidei pectoris contemplatus est vi super Veritatis ipsius testimonii dicentis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, & in alio loco: Date, & dabitur vobis. Tantis igitur miserationibus, & pietatis brachiis Christi pauperes, imo Christum ipsum, amplexatus est, quod nullus umquam hospes & peregrinus ab eo sine benignitatis alicujus solamine tristis abscessit. Ad relevationem egenorum quotidianas expensas indeficienter fieri constituit, nocturnas vigiliis in lavandis Christi fidelium pedibus, & in abscondendis in sinu pauperum eleemosynis, agiler & hilariter transigere solebat, egenum Christum in membris suis consolari deliberans temporaliter, ut ipse vitæ cælestis cameram cunctis delectamentis refertam inveniens, jucundari mereretur æternaliter.

[20] Quadam vero nocte spirituali monitu tactus, nemine sciente, [contumelia illius occasione hilariter tolerata.] solus plenus Homo Dei gerens sacculum, Christi pusillum gregem solito more perrexit visitare; statimque pauperes

distribuendæ celestis thesauri pecuniæ disturbantes initium, Viri Dei meritis evulsione barbæ præbuerunt testimonium. Ob hoc gaudio perfusus maximo Miles Christi, se contulit ad beatissimam Creatoris omnium Genitricem, prostratus terræ gratias agens, sic exclamavit: Regina cælestis & mea, quem tu Regem statuisti, milites tui sic honoraverunt. Sciens ergo, Domina, hac æternam mihi tribui felicitatem, nimis exulto, gratias agens Salvatoris verbis consolatoriis, quibus discipulos suos consolatus est, dicens: Capillus de capite vestro non peribit. His dictis, se Vir Dei cælesti gratia percipiens visitatum, & spirituali chrismate perfusum, cordis januas opem credentibus numquam claudere decrevit, sed per se deinceps, & per alios, præcipue tamen per Christi servos & familiares, clericos scilicet & monachos, cælitus sibi datas facultates in æternis thesauris per manus pauperum fecit collocari.

[21] Hujus rei testimonium quamplures exhibent, sed ex his unus in æternum cum ipso cælestis vitæ particeps, [Recepti in Hungaria Guntherus & Gerardus, & cœnobium Beel conditam:] monachus ex sæculari nobilitate conversus, & eremita, beatus Guntherus, qui hac liberalitate charitativi Principis illectus, sæpius eum de terra Bohemicorum visitare. Quotiens enim curiam ipsius adventus sui fulgore perlustravit, cura regni sub manu sua posita, peregrinis & indigenis, viduis & orphanis, cœnobiis & ecclesiis re distributa, quam continebat, in brevi fuit examinata. Ad nutum etiam ejusdem servi Dei Rex Deo devotus monasterium, quod Beel nuncupatur, incipiens, hominibus ditavit: ubi monachus Gerardus de Venetia veniens, vitam contemplativam agere cœpit, qui constitutione divina pontifex electus, post obitum sancti Regis, instante disturbance Christianitatis, lapidatus, per donum gratiæ spiritualis dignus effectus est consortio Martyrum.

[22] Nec hoc prætereundum æstimo, quod in Viro Dei quanti meriti post obitum foret, [ægris collata sanitas; Bessorum irruptio præcognita.] divina virtus in vita sua demonstrare voluit. Quippe quotiens alicujus hominis infirmitas auribus suis diffamata fuit, sibi pro medicina, quam tunc in præsentī poterat habere, particulam panis, pomi, vel herbæ redolentis, mandans, ut sanus surgeret, transmisit, & Dei propitiatione verbum ipsius comitante, statim sospitatem recepit. Post gloriosam ad cælos Ascensionem, & mirabilem in Patris dextera confessionem Salvator noster paucis corporaliter apparuisse perhibetur, per visionem vero multos consolatus, futurorum eos præscios esse docuit: quod & huic sancto Regi contigit. Quadam namque nocte repente per revelationem quandam expergefactus, veredarium quemdam infra diem & noctem ad Albam transsilvanam præcepit festinare, & omnes in rure manentes ad munitiones civitatum, quam citissime posset, congregare. Prædixit enim superventuros Christianorum hostes, videlicet, qui tunc Hungaris inimicabantur, Bessos, & possessiones eorum deprædaturos. Vix nuntius mandata Regis complevit, & ecce Bessorum inopinata calamitas incendiis & rapinis cuncta devastavit, per revelationem Dei, meritis beati Viri concessam, animabus omnium salvatis per receptacula munitionum.

ANNOTATA.

Sancti in beatam Virginem pietas confirmata est in Commentario num. 280, & rursum num. 296.

Hic locus mendose editus est, & diversus quidem in Ms., nec tamen correctior. Surius sensum reddidit integrum, sed verba mutavit. Levi correctione emendabitur, si pro testimonii legamus testimonio. In Ms. eadem vox corrigenda, legendumque testimonium: nam

ibi habetur, fideli pectoris contemplatus est visu, ac deinde per Veritatis ipsius testimonii, lege testimonium.

Charitatem eximiam Sancti in peregrinos vide in Comm. num. 300, & locis aliis.

Surius legit exinanita: nam ita hic sensum expressit: Tum ille rebus, quas in aula invenisset, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & ecclesias erogatis, brevi illam exinaniebat. Quod vero dicitur de cura regni Gunthero tradita, intelligendum puto de cura eleemosynarum per regnum distribuendarum; id enim innuunt sequentia verba ex Surio jam data.

Pomi omittitur in Ms., sed etiam est apud Surium. Mirabilia id genus non sunt fide indigna: nam hisce sanctitatis famam in Vita adeptus est Stephanus, licet eam non minus mereretur operibus sanctis.

CAPUT IV.

Bellum a Conrado imperatore illatum mira Dei providentia cito finitum: crebra Sancti oratio & raptus: insigne severitatis exemplum: morbus Regis & obitus filiorum: virtutes variæ.

[Bello imperitus a Conrado imperatore, miram Dei protectionem experitur:] Accidit post hoc, defuncto beati Regis amico, Romanæ dignitatis augusto Henrico pio, Conradum imperatoriæ dignitatis coronam per Germanorum electionem assumere: qui destructa pacis tranquillitate totius Theotoniæ manu coadunata, Pannoniæ terminos hostiliter conatus est invadere. Contra quem Rex consultum habens episcoporum & principum, ad tuendam patriam armatos totius Hungariæ extraxit. Si Pastoris culpa quid meretur, ipse luat, insontibus parce, precor, omnibus. His dictis, quasi consolatus ab ipsa, fiducialiter adversus hostes iter arripuit. Altera mox die

nuntius ad unumquemque ducem Germanorum, & in castra Theotonicorum ab imperatore venit, qui eis redeundi mandatum detulit. Regredientibus adversariis, Vir sanctus respectu miserationis Dei se visitatum intelligit, Christo sui que Genitrici terræ prostratus gratias egit: cujus se cum regni provisione tutamini precibus assiduis commendavit. Imperator vero suorum tam repentina perterritus defectione, sciscitans qualiter res facta fuerit, cum nuntium reversionis eorum non suum fuisse veraciter sciret; per consilium Divinitatis, ad corroborandam Regis fidelissimi spem, factam non dubitavit, seque dehinc ab invasione regni ejus timore Judicis æterni retentus, abstinuit.

[24] Idem quoque Rex beata solitudine regalium dispositione occupatus, [cum contemplationi insistit in tentorio, illud sublime pendet in aëre;] tempus diurnum colloquiis & consiliis transigans, per noctis silentium vigiliis & orationibus instare, contemplationi vacare, lacrymas fundere, Deum alloqui precibus, operam dedit, justique Judicis moderationem super quotidianas judiciorum discussiones misericorditer descendere flagitabat. Quod cum sedulo spiritualis desiderii frequentaret officio, nocte quadam, templo Dei longe remoto, (descenderat quippe cum illo suo magno & nobili comitatu, fixis tentoriis in campestris amplitudinis loco) cæteris sopore depressis, surgens a lecto cubiculum cordis ingressus, genibus flexis, solo labiorum motu æternæ miserationis januam gemitibus, & lacrymis pulsabat. Cumque diutius deprecationibus insisteret, Domini sui Regis æterni ministris ad suscipiendas preces ejus convenientibus, papilio super eum extensus a terra levatus tam diu pendere cœpit in aëre, donec Vir Dei ad se reversus a contemplatione, spiritum relaxavit ab oratione. Quod licet invisibiliter illi soli, qui res novit, antequam fiant, sui que secreti consciis angelis fuisset cognitum, cuidam tamen magnæ simplicitatis &

innocentiæ viro, qui tunc simili forsitan instabat operi, est manifestatum: quem Rex sanctus arcani simul sui conscium esse per Spiritum sanctum edoctus, ad se vocatum blandis prius sermonibus, quid vidisset, sciscitabatur. Postea ne cui patefaceret, quoadusque ipse viveret, interminatus est.

[25] [gravi supplicio punit injuriam illatam intrantibus regnum:] Fama nominis sui in auribus multarum gentium sæcularium diffusa, & judiciis oris sui celebri laude ubique innotescentibus, sexaginta viri Bessorum, quorum superius mentionem habuimus, cum universo apparatu suo, videlicet auri & argenti copiositate, multaque varietate ornamentorum, curribus onustis de partibus Hungariæ egressi, ad Regem venire volentes, terminis Pannoniorum appropinquaverunt. At multi servorum, quorum cereus est animus flecti in vitium, malignitatis suæ face succensi, obviam illis exierunt: quosdam gladio percusserunt, omniaque, quæ eorum fuerant, auferentes, vacuos & semiviventes reliquerunt. Illi vero Regi, quid actum, quidve perpassi sint, reservantes, iter, quod cæperant, peregerunt, & ad eum properantes, genibus ejus se advolverunt. Quibus visis, Quæ causa, inquit, malorum? Mi Domine, referunt, nos servi tui nihil mali machinantes, ad audiendam judiciorum tuorum veniebamus disciplinam, & quorundam manibus, quam nobiscum serebamus, pecunia absque delicto omnium nostrum ablata est. Insuper apprehensos aliquos ceciderunt, & vita vix comite venimus, ut nuntiaremus tibi. Rex, ut erat prudentioris animi, non vultu, non verbis minatus est eis; sed sustinens, ut scribitur; Prudens Spiritum reservat in posterum, misit ocius ad illum, sub quo militabant, tribunum, & die constituto omnes perditionis viros jussit conspectibus suis præsentari. Factum est, ut imperaverat; & ad discutiendum in præsentia sui constituti sunt. Quos alloquens, Cur, inquit, legem præceptorum Dei transgredientes, non intellexistis

misericordiam, & viros innocentiae condemnastis? Sicut fecistis, ita faciet Dominus vobis coram me hodie: transgressores enim legis feriendi sunt. Accepta sententia, educti sunt, & per omnem regni ingressum duo & duo suspendio perierunt; quod ob terrorem incutiendum reliquis, zelo eum justitiae fecisse credendum est; ut quia regnum omnibus hospitibus potens asylum esse volebat, sic liber omnibus introitus esset, ut nullus ingredientem quemlibet in aliquo laederet, vel molestare praesumeret, quod & factum est. Nam quoad vixit, nullus cuilibet hospiti quicquam molestiae inferre praesumpsit.

[26] [affligitur diuturno morbo & filiorum obitu; atque ipsius etiam, quem praecclare instituerat,] In beato quoque Rege constat Apostolicum illud impletum, quod legitur: Quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum caelorum; & in libro Sapientiae: Quos diligit Deus, castigat; & pater flagellat omnem filium, quem recipit. Multis enim modis correctioni divinae succubuit, tribus annis infirmitate continet laborem. Postquam inde propitiationis Dei medicamine convaluit, tamen iudicio aeterni persecreti consilii quandam examinationem in filiorum suorum obitu sibi sensit immittere verbera, quos in ipsis infantiae gradibus infantes, qui dedit, abstulit. De quorum morte maestitiam obortam Genitor propter amorem filii superstitis, bonae indolis pueri Emerici compescuit: solatium quem quasi jam unicum caro diligens affectu, precibus Christo quotidianis, & ejus Genitrici Virgini perpetuae commendavit. Hunc sibi fore superstitem, hunc regni haeredem, votis omnibus desideravit; & ut efficax fieret ad tenenda tanti regiminis gubernacula virorum documentis orthodoxorum, usu lectionis quotidianae, fecit auditum utrumque praebere. Ipse quoque paternae dilectionis ardore compunctus, libellum sibi de institutione morum composuit, in quo fideliter, & diligenter verbis eum admonitionis spiritualis alloquitur, instruens, qualiter ante omnia debeat

observare fidem Catholicam, confirmare statum ecclesiasticum, honorem impendere dignitati pontificum, principes & milites diligere, iudicium observare, patientiam in omnibus actibus habere; hospites benigne recipere, benignius nutrire, sine consilio nihil agere, majores suos semper ante oculos ad exemplum statuere, orationis officium frequentare, pietatem & misericordiam cum cæteris virtutibus possidere.

[27] Talibus & his similibus disciplinis institutus juvenis præclarus, [Emerici: dolorem vero hinc natum lenit operibus misericordiæ:] ad nutum dispositionis æternæ, cui cuncta subjacent, obediendo MXXXI Dominicæ Incarnationis anno vitam hanc exitialem commutavit, sempiterno superiorum civium adjunctus contubernio, cujus animam ipsa transitus sui hora cuidam episcopo Græcorum, sanctæ conversationis viro, revelatum est deferri per angelos ad cæli palatia. Verum quia pro sanctitatis suæ meritis, summo ab omnibus diligebatur affectu, ortus est ingens luctus omnium; sed maxime principum, inter quos Pater desolatus grave traxit suspirium: videns enim se solum sine spe posteritatis derelictum, pietatis affectum doluit: sciens vero scriptum: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum; & illud in canonibus, Neminem propter obitum charorum nimium debere contristari; deposito majore, se contulit totum, ad quærendam largitatem misericordiæ divinæ, cœnobiorum & Ecclesiæ ministris, monachis & clericis, diversis eleemosynarum donis consolatus, expensam totius sumptus, quam tunc habere poterat, peregrinis, viduis, & orphanis erogat. Exterarum etiam monasteria provinciarum munificentia regiae donis innumeris per nuntios suos sæpe visitavit.

[28] Gravedinem morum, quam in juventute receperat, [eximia Regis sanctitas.] usque ad finem vitæ tenuit. Vix unquam ad risum labia movit, recolens scriptum, Risus

dolore miscetur, & extrema gaudii luctus occupat; semper sic apparens, acsi ante Christi tribunal staret, interioris oculis ejus præsentiam vultu sereno conspiciens, Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus se gestare demonstravit. Diem ultimum semper ante oculos cordis statuens, toto mentis desiderio inter patriæ cælestis cives, quasi quodam angelicæ conversationis habitu cupiebat habitare. Cunctis Deo placitarum virtutum generibus adornatus in sanctitate & justitia, coram ipso omnibus diebus vitæ suæ conversari decrevit, ut in eo jam ceu quædam futuræ glorificationis species clarescere videretur.

ANNOTATA.

Obiit S. Henricus imperator, & electus est Conradus, cognomento Salicus, anno 1024; at non statim ortum est bellum inter Conradum & Stephanum, sed primum fuere quædam simultates, culpa Bavarorum enatæ, ac deinde anno 1030 Conradus aperto bello aggressus est Stephanum, paxque instaurata anno sequenti. Adi Commentarium § 31.

In Ms. Teutonicæ. Intelligit auctor Germaniam, aut totum imperium.

In Ms. additur, regis, legiturque regis ab inimicis.

Id est, quasi missus ab imperatore; nisi revera illum miserit Conradus, idque postea fateri noluerit.

Ms. Egredientibus, nimirum regno Hungarico, adversariis.

In Ms. rectius suæque Genitrici, pro, ejusque Genitrici.

In Ms. Spiritu minus recte. Dat auctor, opinor, sensum verborum illorum, quæ habentur Prov. 29 ṽ. XI: Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reservat in posterum.

Phrasim hanc obscuriorem & forsan mendosam clarius sic expressit Surius: Qua (infirmitate) cum tandem divinæ misericordiæ medicina esset liberatus, in obitu filiorum suorum, quos adhuc infantes mors rapuit, æterni Judicis flagella persensit.

Idem latius refertur in Vita S. Emerici, ubi episcopus ille dicitur Eusebius Cæsareæ Palæstinæ metropolitanus. Additur ibidem, factum Hungaris innotuisse ex relatione cujusdam canonici Cæsariensis, qui istud Constantinopoli, ubi legatus erat, narravit. Erant eo tempore episcopi Cæsareæ & aliis Palæstinæ locis, iique communicabant cum Ecclesia Romana, sed minus noti sunt. Cum autem res magis spectet ad Emericum quam ad Stephanum, magis discuti poterit ad 4 Novembris, quo Emerici memoria

CAPUT V.

**Morbus, & in eo detecta conspiratio quorundam:
beatus obitus, sepultura, decreta corporis
elevatio, ac mirabilia in apertione sepulcri facta.**

**[Rex ægrotans, impetitur conspiratione, quam detegit:]
Post non multum temporis ægrotationem incurrit, qua postmodum corpore excessit, longaque languoris molestia ingravescente, in pedibus stare nequibat. Videntes autem quatuor nobilissimi palatinorum diu graviterque laborantem (nam ipsi in perfidia cordis adhuc errantes consilium iniquitatis duxerunt, occasumque ejus in mortem conati sunt tractare) jam die advesperascente, antequam in domo lucerna accenderetur, unus eorum audacter sub obscuro ingressus est, & ad jugulandum**

Regem ensem nudatum sub chlamyde tegebat. Dum pedem inhiberet, ubi Rex quiescebat revera cælesti impulsu gladius corruit, percussusque terram a tinnitum reddidit. Statim Rex audiens causam requisivit, cum, quid fuerat, præsciebat. Ille vero anxius corruit, consilium furoris sui recognovit, doluit, accessit, procubuit, vestigia amplexatus est, se deliquisse confessus, sibi indulgeri precatus est. Veniam quærenti, non avertit faciem, facile dimisit. Denique jussu Regis homicidæ illi inventi sunt, & adversus eos iudicio locutus, digna eos mulctavit sententia.

[30] Tandem per misericordiam Dei dignus centuplicari retributionis bravo, [præclara suis dat monita, regnumque beatæ Virgini commendat,] tactus feбри, cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis episcopis & primis palatii de Christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractavit de substituendo pro se rege. Deinde paterne monuit illos, Catholicam fidem observare, quam acceperat, amare justitiam, vincula supernæ charitatis diligere, & charitati operam dare, humilitatis studio invigilare, præ omnibus vero novellæ Christianitatis plantationi custodiam adhibere. His dictis manus & oculos levans ad sydera, sic exclamavit: Regina cæli, reparatrix inclyta mundi, tuo patrocínio sanctam Ecclesiam, cum episcopis & clero, regnum cum primatibus & populo sub tuis precibus committo: quibus ultimum valedicens, manibus tuis animam meam commendo.

[31] Instabat tunc solennitas præcipua, celebris angelis & hominibus, [ac, susceptis postremis Sacramentis, pie moritur.] dies Assumptionis Mariæ, in cujus gaudio dissolutio sui corporis fieret, misericordiæ spem majoris se sperans habiturum precibus: hæc spiritualibus postulavit suspiriis, & lacrymis obtinuit. Aderat ergo felix illa dies, per ejus obitum felicior mox futura: circumstabat cum clero paternitas episcoporum, cum manu ministrorum

principalis chorus comitum: ubi Rex dilectus in medio jacens, accepta unctione spiritalis Sacramenti, sanctam animam, Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi viatico recreatam, anno Dominicæ Incarnationis millesimo tricesimo quarto, in manus perpetuæ Virginis, & sanctorum angelorum, æternæ quietis beatitudini inferendam tradidit. Factus est planctus maximus suorum, gaudium angelorum: sed hic planctus postea versus est in lætitiā sempiternam, tam nascentium, quam & viventium populorum.

[32] [Corpus honorifice sepultum in ecclesia Albensi:] Ad exequias funeris ejus ex omnibus Pannoniæ plagis concurritur, corpus ad sedem regalem, Albam videlicet civitatem, deducitur. Et quoniam ecclesia beatissimæ Virginis, ab ipso constructa, nondum erat dedicata, merito consilio statutum pontifices, prius basilicam sanctificare, deinde corpus terræ commendare. Perfecta dedicationis solennitate, corpus sanctum in medio domus sarcophago candidi marmoris imponitur, ubi per annos plures, Dominus per ipsius merita multis incommoda patientibus, febricitantibus, afflictionem & miseriam suam proclamantibus, judiciumque portantibus, beneficia præstitit innumera. Sæpe per noctem melodia, cantantibus angelis, a multis audiebatur: frequenter odoris suavissimi dulcedo per latera templi dispergebatur. Qui cum ita corpus beatum in loco eodem quadraginta quinque annis miræ dispositionis secreto, qui in sanctis suis prædicatur mirabilis, gravedine pressum, & in pulverem redactum. Et hoc tempore prædestinato declarari dignus, & in resurrectionis die gloriosus renovari meretur, hoc cor suum resipuit, quid designet oculis spiritualibus delectat intendere quod sine præordinationis die affectu divino factum non æstimamus. Forsitan quædam in ipso, terreni pulveris aspersione, igne divinæ examinationis purificandam remanserat, sine qua regnantes, quasi quodam jure

potentiale vitam præsentem vix aut nullatenus ducere queant.

[33] Interjectis itaque quadraginta quinque annis, [cum a summo Pontifice decreta esset elevatio, indicitur jejunium,] cum ad præstanda per eum mortalibus misericordiæ suæ beneficia, Sancti sui jam vellet Deus merita declarare, Romanæ Sedis institutione, apostolicis literis sancitum est, ut eorum corpora elevari deberent, qui in Pannonia Christianæ fidei jacentes semina, sua eam prædicatione, vel institutione ad Dominum convertissent: adveniente vero tempore declarationis ejus, & laudibus gratiæ ejus, quam per ipsum gens Hungarica promeruit, in mundo divulgandæ, Rex Ladislaus, qui tunc rempublicam administrabat, universa morum honestate præclarus habitus, & virtutum fulgore conspicuus, laudibus & servitio Dei perfecte deditus, Spiritus Paracleti perlustratione tactus, habito consilio cum episcopis & primatibus, & totius Pannoniæ sapientibus, triduanum cunctis indixit jejunium, ut quod communi Catholicorum utilitati, Spiritus sancti donis animarum & corporum salutem operantibus, videtur fore proficuum, commune cunctorum deprecatione, jejuniis & eleemosynis fundata, [tentaturque elevatio, sed frustra, donec Salomon olim rex emissus sit carcere.] per manifestationem signorum deberet esse quærendum.

[34] Sed ut ostenderet Dominus quantæ misericordiæ Rex Sanctus fuerit, adhuc mortali vivens in corpore, quam jam cum Christo regnasse demonstrabat, ad hoc præ cæteris operibus approbare, cum triduo ejus corpus totis viribus elevare satagerent, nulla de loco suo potuit arte moveri. Quo namque tempore, exigentibus culpis, inter prædictum regem Ladislaum & fratrem in ejus Salomonem gravis orta seditio fuerat, ob quam Salomon captus in carcere tenebatur. Cum ergo pro elevando corpore frustra conarentur, quædam inclusa juxta ecclesiam

sancti Salvatoris summi, nomine Charitas, cujus vitæ celebris tunc temporis opinio ferebatur, revelatione sibi cælitus facta Regi mandavit, eos incassum niti, & non posse transferre sancti Regis pignora, donec Salomoni a carcerali absoluto custodia, libera indulgentia præberetur. Illo itaque e carcere producto, & triduo iterato jejunio, cum ad transferendas reliquias sacras tertia die ventum fuisset, lapis ingens superpositus tumbæ, tanta facilitate sublatus est, acsi nihil ante ponderis habuisset.

ANNOTATA.

Rectius diceretur, percussa que terra: sed & alia minus Latina habet auctor, nec omnia tamen illa notanda duxi, modo sensus intelligatur.

Vox precibus omissa est in Ms., nec est necessaria. Ibidem mox pro spiritualibus legitur specialibus.

Obiisse Sanctum anno 1038, ostensum est in Commentario num. 426. Qua in urbe obierit, apud antiquos nullibi dicitur. Attamen, cum mox dicat, corpus Albam Regalem esse translatum, videtur insinuare, ibi non esse defunctum.

Ob miracula secuta, opinor, & gloriam Sancti.

Forte statuere. De Alba Regali variis locis actum, de hujus quoque ecclesiæ constructione non pauca videri possunt § 25.

In Ms. aliqua hic omissa: nam hæc solum ibi leguntur: Ubi per annos plures Dominus per ipsius merita multis incommoda patientibus beneficia præstitit innumera. De miraculis, quibus Sanctus mox claruit, in Comm. num. 428 & 429, & plura § 37 & 38 dicta sunt.

Phrasis hic maxime mendosa est tam in editione quam in Ms., licet in vocibus subinde dissentiant. Scriptum haud dubie fuit usque ad finem hujus numeri hoc fere modo; quo locum expressit Surius: Jacuit in eo loco sacrum corpus annis quadraginta quinque occulta quadam omnipotentis Dei dispositione, qui est mirabilis in Sanctis suis, marmoris pondere pressum & in pulverem redactum, ut tempore præfinito dignius declararetur, & in resurrectionis die gloriosius renovetur. Id vero quid significet, quando sine divina ordinatione & divino affectu factum minime putamus, libet oculis interioribus speculari. Fortassis nonnihil terreni pulveris, divinæ examinationis igne purgandum, in illo remanserat, sine quo reges, magna potentia fulti, vitam præsentem vix, aut ne vix quidem transigere possunt. Sensem a Surio recte datum existimo; at auctori philosophanti minime assentior: nam quod corpus, excepta dextera, ut videbimus, in pulverem sit redactum, quodque per annos quadraginta quinque publico cultu caruerit, non præbet idoneam rationem judicandi, post mortem Sancti aliquid in ejus anima fuisse ignibus piacularibus expiandum; cum plerorumque Sanctorum corpora in pulverem redigantur secundum ordinarias naturæ leges, multique ex illis longiori tempore sine publica veneratione fuerint, neque tamen inde inferri possit, aliquid in ipsis superfuisse terreni pulveris post felicem obitum. Tanto autem magis ab hac suspicione abstinere debuerat auctor, quanto clariora sunt sanctitatis indicia, quæ præmiserat de miraculis, melodia cælesti, atque odore suavissimo.

De S. Ladislao rege apud nos actum est tom. 5 Junii pag. 315 & sequentibus. De eo in Vita antiqua ibidem pag. 319: Nam anno Domini millesimo centesimo nonagesimo secundo sanctum corpus ejus canonizatum est. Ad quem locum sic Papebrochius: Phrasis hæc est illius temporis, inde sumpta, quod canonizationis decretum sequi soleret corporis de terra elevatio. Eadem

de causa elevatum fuisse corpus S. Stephani, atque adeo formali canonizatione Sanctis adscriptum esse, pluribus probavi in Comment. § 38.

In Ms. approbatur; at ne sic quidem sensus est perfectus. Surius videtur sententiam recte expressisse, sic habens: Sed ut ostenderet Dominus, quanta misericordia Rex adhuc manens in corpore præditus fuerit, quam etiam jam cum Christo regnans præ ceteris operibus se approbare declararet &c.

Salomon non erat frater Ladislai, sed patruelis. Forsan latiori sensu vocatur frater, nisi error irreperit vitio transcribentium, aut ipse Carthuitius in eo erraverit. De carcere Salomonis causaque carceris actum est in Comm. num. 439, ubi etiam hæc ipsius liberatio confirmatur:

CAPUT VI.

Elevatio corporis & miracula: mira dexteræ inventio, & integritas.

[Aperto sepulcro, multa continuo facta miracula,] Completo ergo tertiæ diei vespertinali Officio, cunctis divinæ miserationis beneficia per beati Viri meritum præstolantibus, subito plebem suam Christo visitante, miraculorum insignia per amplitudinem domus sanctæ funduntur cælitus: quorum pluralitas, quoniam ipsa nocte numerum excesserat, illud Evangelicum hic libet introducere; quod Salvator Joanni per nuntios sciscitanti, an ipse sit, qui venturus est, responsum mandaverat, Cæci vident & claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mali corriguntur, paralytici curantur: quorum tamen aliqua, quod cuneta non possumus, innotescere satagemus. Juvenis quidam omnibus membris dissolutus, annis XII paralytim passus, manuum & pedum carebat officio, qui parentum adjumento vectus illuc, recepta

totius corporis sospitate, signorum fecit initium, atque ad altare haud segniter currens, omnium Christo laudes clamantium augmentavit gaudium.

[36] Alius quoque puer septennis, a nativitate contractis nervis, genibus & manibus, reportabatur: quem fide pleni parentes, beati Viri suffragio conferentes, [ex quibus sigillatim aliqua referuntur,] prostrati juxta sepulcrum secum posuerunt, gratiam petitori, quam mox consecuti, contractionem nervorum in filio distendi mirabantur, & consolidatis genibus & plantis, omnes eum incedentem videntes, Christi nomen in beati Viri meritis, laudabili clamore glorificaverunt. Quem rex Deo devotus, præ nimio gaudio lacrymatus, manibus a terra levatum, ad altare portavit, ubi nimio e laudis prolato, gratias Deo pro beneficiis præstitis in sanitate pueri, cum omnibus, qui aderant, favorabiliter egit. Sic totam noctem Deus pro Famuli sui veneratione multorum fulgore signorum mirabiliter perlustravit; populus vero vigiliis & orationibus intentus miraculum unumquodque laudum clamoribus manifestum facere non cessabat.

[37] His inferendum videtur & illud, quod non solum ibi præsentibus, [inter quæ puer mortuus vitæ restitutus.] sed longe quoque positi, suffragantibus ejus meritis, celebrem consecuti sunt salutis effectum. Nam cum elevationis ipsius undique cœpisset fama celebrescere; variis obsessi languoribus ex omnibus Hungariæ finibus ad sanctum tumulum, quo quique poterant modo, festinare cœperunt. Sed cum, aliis præcedentibus, alii graviore debilitate prohibiti, simul pervenire nequirent, simili tamen misericordia in via innumeri sanati sunt. Unde in permansuram beneficiis sancti Regis memoriam, quamplures per eum sanati, redditi in eodem, ubi sanati sunt, itineris loco, grandes aggregaverunt acervos lapidum, qui longo ibi tempore post multum fuerunt. Sed & mulier quædam, cum inter hæc filius ejus exhalasset

spiritum, qui sibi fuerat unicus, exanimati corpus juxta Regis tumulum deposuit, Dei & Sancti ejus super eo imploratura solamen. Mira quidem res, & nostris stupenda temporibus: non prius orare mulier destitit, quam filium, quem defunctum collocaverat, viventem accepit.

[38] Mane facto, die post Assumptionem sanctissimæ Virginis Mariæ quinto, [Recluso autem sarcophago, odor suavissimus perceptus, & aqua instar balsami reperta:] convenientibus in ecclesiam cum rege principibus, cum clero pontificibus, primum Missa pro defunctis celebrata est; deinde sublata tabula marmorea, quæ pavimento præminebat, postquam perventum est ad tumbam, tanta fragrantia suave redolentis odoris in apparitione ipsius omnes, qui aderant, circumdedit, quod in medium paradisi deliciarum donum se raptos opinarentur. Ipsa quoque tumba plena fuit aqua parum rubenti, quasi oleo permixta, in qua, velut in balsamo liquefacto, quieverunt ossa pretiosa. Quibus in mundissimo linteamine collectis, in ipso liquore diutissime est quæsitus annulus, qui beati Viri dexteræ fuerat impositus. Quo non invento, cæperunt quidam jussu Regis aquam in caldaria argentea & dolia effundere, ut evacuato sarcophago certior fieret anuli inventio. Sed mirum in modum, quanto magis liquor effundebatur, tanto plus, eo crescente, tumba replebatur. Quo viso miraculo, haustam aquam loco suo restituerunt: nec tamen, ea refusa, magis ob hoc tumba repleta fuit.

[39] Tunc, cooperto sepulchro, laudes & gratias divinæ pietati proclamantes, [alia rursus miracula diu continuata:] cum de invento thesauro beatissimæ Matris Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis altare reparaverunt, interim Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, effusis suis largitatis beneficiis, petentibus miraculorum suorum signis se præsentem esse notificavit in tantum, ut tempus illud Dominicæ conversationis inter homines videretur

revolutum, de quo legitur: Omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum, & curabantur. Hæc omnia virtus divina non solum ipsa die, sed post tempore multo, per merita Famuli sui dignata est operari, quod etiam de aliis regionibus, audita beneficiorum Dei fama, pro recuperanda sanitate, diversarum valetudinum morbis laborantes, ad suffragia beati Viri cum maguo desiderio convolarent. Comitissa vero quædam nobilitatis eximiæ, matrona nomine Mathide, tribus continuis annis viscerum dolore gravata, jam morti proxima fuit: quæ a suis in feretro delata, mox ipsa die, qua sancti Viri tumulum attigit, paulatim se meliorari sensit, ac in brevi vitæ prioris sospitate recepta, magnalia Dei per Famuli sui merita in se remunerata divulgavit.

[40] [Sancti dextera integra cum annulo divinitus alicui tradita ac deinde ostensa:] Cætera vero miraculorum Dei prodigia, pro dilectione Famuli sui cælitus ostensa, non ideo quod fastidiam, non scripta dereliqui; sed quia non solum mihi pluit Dominus, qui super bonos & malos solem suum clarescere facit, beneficiorum ipsius multiplicitate cunctorum proficio consulentem, innumeris sapientibus, quos Hungaria fovet & amplectitur, stilo declarandam commendavi. Illud vero in fine codicis tantum adhærere decrevi, quoniam miro pietatis Dei munere diu quæsitus & non inventus anulus, cum ipsa beati Viri dextera, post translationis ejus terminum est manifestatus. Monachus quidam, nomine Mercurius, qui in ordine clericatus thesauri perpetuæ Virginis custos fuerat, & jam per amorem cælestis patriæ sæculo renuntiaverat, ipsa hora, qua tumulus apertus fuerat, ne quid sanctarum reliquiarum raperet, redargutione regali procul inde est remotus. Cui tristi vultu in choro residenti, juvenis quidam albis vestitus, pannum involutum tradidit, dicens: Hunc tibi commendo servandum, cum tempus fuerit, manifestandum. Post completionem Officii sacri monachus in angulis domus pannum expandit,

integramque Dei Viri manum cum anulo mirifici operis cernens, expavit: atque secum, nemine sciente, ad monasterium, quod suo regimini commendatum fuerat, tempus a juvene sibi prædictum, a Christo præstolaturus, deportavit, ibi diu solus absconditi in agro thesauri custodiam & excubias decrevit. Post fundatores ipsius cænobii conscios fecit, ad ultimum appropinquante tempore rei declarandæ, Regis ad notitiam perduxit. Qui mox, adunatis episcopis & Hungariæ primis, multis a Christo miraculorum in beneficiorum erogatis, elevare Viri Dei dexteræ diem statuit celebritatis.

[41] [inquirens auctor cur incorrupta manserit Regis dextera, ejus misericordiam commendat.] Quid est, fratres, quod cæteris membris dissolutis & in pulvere carne redacta, penitus defunctis, solaque dextera manus ossibus, cute cum nervis adhærente, suæ servavit Deus integritatis? Non aliud arbitror, nisi divini consilii profunditate in hujus excellentia Sancti voluisse declarari dissolutionis opus, & eleemosinæ cunctos virtutum gradus ascendere. Unde veritas ait in Evangelio; Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et item; Date, & dabitur vobis. Item in alio loco: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Merito ergo beati Viri dextera fuit aliena putredinis, quæ semper pietatis flore reviviscens, in alendis pauperibus numquam vacua fuit donis erogationis. Subvenit in necessitate positus, liberavit oppressos a jugo captivitatis, vestes & hospitalitates præbuit peregrinis, viduarum & orphanorum miseras & indigentias suas esse computavit: cœnam y, & mandatum Dominicum in lavandis egenorum pedibus quotidie renovavit. Eleemosynam non de rapina, vel aliorum damno, sed de propriis facultatibus, confluere fecit. Ut domos Dei divites efficeret, sibi voluntatem habendi subtraxit: sicque cunctis ad nutum dignitatis proficiens, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixit. Inde

est corporis & dexteræ, delectabilis & miranda veneratio: inde dulcis & fœlix æternæ vitæ retributio: inde desiderabilis supernorum civium cohabitatio, ubi irradiat semper lucens & indeficiens splendor unius summæque Deitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, per infinita sæcula sæculorum. Amen.